

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9554

Auteur(s) : Étienne de Borbel [prêtre]

Bénéficiaire(s) : Foucarmont, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1166

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Notice relatant les auditions des témoins du procès entre Richard du Pont, clerc de l'église de Bouaffles, et Enguerrand de Bouaffles, chevalier, au sujet du patronage de l'église de Bouaffles. Enguerrand avait donné le patronage en question aux moines de l'abbaye Notre-Dame et Saint-Jean de Foucarmont et la charte de cette donation est citée.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Arch. dép. Seine-Maritime, 8H24.

Dissertation critique

Transcription : Tamiko Fournier-Fujimoto

Rotrou, archevêque de Rouen, 1165-1183 ; H[ugues], abbé de Foucarmont, 1170/1175-1196.

Texte d'après A

Hii sunt testes Ricardi de Ponte, clerici qui in causa quam ipse habebat contra Ingerrannus de Boaffles, militem, super ecclesia de Boaffles a qua clericum prenomiatum Ingerrannus removere volebat observato juris ordine fuerunt apostolica auctoritate recepti, ad quorum perpetuum testem, abbas, prior Sancti Johannis et prepositus majoris ecclesie Ambianensis, qui fuerunt in hac causa iudices a domino papa delegatii sua apposuerunt sigilla. Stephanus de Borbel presbyter, Gillebertus de Osbermaisnil presbyter, Walterius de Restoval presbyter, Willelmus de Sancto Leodegario presbyter, Walterus de Molins diaconus, Ricardus de Bernoumaisnil dictus Magister, abbas de Augo, prior de Aula puellarum Rothomagensi, Magister Stephanus de Bolon, Magister Gaufridus de Hauvilla Rothomagensi canonici, Willelmus Osmont presbyter, magister Radulphus de Oistreham Rothomagensis canonicus et Kaleti archidiaconus, donnus abbas de Fucarmont, prior, cantor, donnus Willelmus de Fescamp, donnus Guido le Borgne, donnus Willelmus Audigero monachi ejusdem loci, Walterus presbyter de Fucarmont, Henricus Mosteile presbyter, Gillebertus de Semermaisnil presbyter, Osbertus de Fraisnei presbyter, Ricardus de Sancto Martino in Nemore presbyter. ¶ Stephanus de Borbel presbyter juratus dixit quod vacante ecclesia de Boaffles presens fuit apud Fucarmont ubi vidit et audivit coram archiepiscopo Rothomagensi quod abbas de Fucarmont conquestus est de donno Ingerranno qui etiam suam vexabat super patronatu de Boaffles et archiepiscopus quesivit a donno Ingerranno quid reclamaret in ecclesia de Boaffles, et ipse dixit quod jus patronatus suus erat, et abbas dixit quod non est ita, imo pertinet ad nostram ecclesiam jus patronatus ecclesie Boaffles, et super hoc habemus cartam sigillo donni Ingerranni munitam, et ostendit cartam, et carta lecta coram archiepiscopo fuit et in eadem continebatur quod donnus Ingerranus contulerat quicquid juris habebat in patronatu ecclesie de

Boaffles ecclesie de Fucarmont, et carta lecta tam verbis latinis quam romanis, archiepiscopus quisivit a donno Ingerrano utrum ita esset sicut continebatur in carta, et donnus Ingerrannus respondit quod sic, sed dixit donnus Ingerrannus quod quidam conventio que non erat scripta inita erat inter ipsum et dictam ecclesiam, talis scilicet quod ipse debebat primum clericum presentare de consilio abbatis et conventus, et abbas respondit quod nihil inde sciebat, quia tempore illo non erat abbas, et cum abbas quesivisset a priore suo utrum ita esset prior dixit quod ita fuerat, et statim donnus abbas dixit donno Ingerranno quod ipse presentaret quem vellet, et statim donnus Ingerrannus presentavit quendam filium suum minorem etate de consensu abbatis et conventus, sed archiepiscopus dictum clericum admittere recusavit propter minoritatem etatis, et tunc abbas presentavit Ricardum de Ponte, clericum archiepiscopi, ad ecclesiam de Boaffles, et archiepiscopus dixit quod bona erat persona, et quod inde consilium haberet, et postea archiepiscopus promovit dictum R. ad sacros ordines ad titulum dicte ecclesie sicut ipse testis didicit a decano et archidiacono suo et a vicinis presbyteris. De die de tempore non recolit. ¶ Gillebertus de Osbermaisnil presbyter, igitur concordat Stephano presbytero, de ostensione carte, lectore et approbatore de conventionem inita inter ipsos, de presentatione filii dicti militis, et de recusatione, et de presentatione dicti Ricardi, et de promotione ejusdem, et addidit quod ea que frater fuerit apud Fucarmont facta fuerit in vigilia Nativitatis beati Johannis Baptiste, duobus annis elapsis. ¶ Walterus de Restoval presbyter, igitur concordat primo, R'. de conventionem illa que inita fuit inter abbatem et donnum Ingerrannum militem, sicut prior dixit, dicit se nihil scire, R'. qui presentes fuerunt cum ipso quando carta lecta fuit coram archiepiscopo, dixit quod Stephanus et Gillebertus presbyteri presentes fuerunt. De die non recolit tum dicit quod comedit carnes in illa et dicit quod hoc fuit circa festum sancti Johannis Baptiste. ¶ Willelmus de Sancto Leodegario presbyter, igitur dixit se nihil scire ni de auditu. ¶ Walterus de Molins diaconus igitur concordat primo de presentatione Ricardi et de conventionem facta et de recusatione filii dicti militis. De die dictu sicuti Gillebertus. ¶ Ricardus de Bernoumaisnil dictus Magister igitur dixit quod fuit presens apud Rothomagum ubi carta lecta fuit, in qua continebatur quod Ingerrannus predictus miles contulerat ecclesie de Fucarmont jus patronatus ecclesie de Boaffles, de aliis articulis nihil scit ni de auditu. ¶ Abbas de Augo igitur dixit quod interfuit in abbacia de Fucarmont quando abbas Fucardimontis tamquam patronus, presente Ingerranno milite et consentiente, presentavit filium ejusdem militis ad ecclesiam de Boaffles, sed donnus archiepiscopus noluit eum recipere, quia infra annos etatis erat constitutus, et dixit quod vidit cartam ejusdem militis super concessione facta ecclesie de Boaffles ecclesie de Fucarmont, et illam attulit coram domino Rothomagensi archiepiscopo apud Daievilla, et lecta fuit eo presnete, R'. utrum interfuit quando predictus .R. clericus presentatus fuit ab abbate Fucardimontis vel institutus ab eodem archiepiscopo ejusdem loci ordinario dixit quod non recolit, sed dixit quod audivit predictum .R. clericum longo tempore ante quam predictus .I. miles afferret cartam fratrum ecclesie Fucardimontis, super concessione juris patronatus ecclesie de Boaffles presentatus fuisse ab abbate Fucardimontis ad ecclesiam antedictam, et ab archiepiscopo institutum. ¶ Prior puellarum igitur dixit quod interfuit apud Daievilla quando .I. miles ostendit quandam cartam donno Rothomagensi archiepiscopo in qua continebatur quod ipse concesserat jus patronatus ecclesie de Boaffles ecclesie de Fucarmont et illam dicebat sibi esse redditam ab abbate Fucardimontis. De tempore et de aliis nihil scit ni de auditu. ¶ Magister Stephanus de Bolon canonicus Rothomagensis igitur dixit quod quadam die cum pie recordationis donnus R[otrodus] Rothomagensis archiepiscopus constitutus esset apud monasterium Fucardimontis, abbas ejusdem loci presentavit ei .R. clericum ad ecclesiam de Boaffles, presente Ingerranno milite et se opponente, verumptamen dictus abbas exhibuit ibi coram memorato archiepiscopo cartam sigillo ejusdem militis signatam in qua continebatur quod idem miles patronatus ejusdem ecclesie contulerat monasterio de Fucarmont, sed tunc non fuit admissus ille .R. clericus, sed postea ad titulum ejusdem ecclesie fuit in subdiaconatu ordinatus, et per memoratum archiepiscopum ejusdem loci ordinarius fuit institutus. Postmodum vero aliquanto tempore elapso post institutionem accessit quidam monachus de Fucarmont, cum cum (sic) Ingerranno milite apud monasterium Sancte Trinitatis de Monte juxta Rochomagum asserens quod abbas et monachi de Fucarmont Ingerranni militi cartam supradictam restituerant et patronatus quitaverant metuentes sicut idem monachus secreto dicebat ne si secus fieret aliquas eorum grangias idem miles combureret. ¶ Magister .G. de Hauvilla canonicus Rothomagensis igitur dixit idem quod prior puellarum et addidit quod ipse legit cartam coram donno archiepiscopo et credit quod eo tempore quo monachi habebant cartam penes se, R. clericus presentatus fu[it] ille a monachis et receptus ab archiepiscopo. ¶ W. Osmont presbyter igitur dixit quod interfuit apud Daievillam quando abbas de Fucarmont presentavit .R. clericum ad ecclesiam de Boaffles, asserentes jus patronatus ecclesie predicte ad se pertinere, ratione carte quam habebant ab .I. milite super concessione patronatus ecclesie de Boaffles facta monasterio de Fucarmont, et illam cartam ostendit ibi abbas ut credit, sed non recolit quod ea vice receptus fuit sed audivit dici postea quod dictus clericus receptus fuit ad ecclesiam predictam ad presentationem abbatis de Fucarmont et institutus, et audivit postea donnum R[otrodum]

pie memorie Rothomagensis archiepiscopum conquerentem se de abbate de Fucarmont, quia reddiderat cartam prefato militi. ¶ Magister Radulfus de Oistreham Rothomagensis canonicus et Kaleti archidiaconus igitur dixit quod interfuit apud Fucarmont quando .I. miles presentavit quandam clericum ad ecclesiam de Boaffles sed abbas de Fucarmont opposuit se ostendendo cartam suam per quam volebat probare se esse patronus ecclesie de Boaffles, et visa carta, miles sustinuit quod abbas presentavit .R. clericum de quo agitur, sed tunc non fuit receptus, sed credit quod post ad ejusdem abbatis presentationem fuit receptus, de aliis non recolit. ¶ Donnus abbas de Fucarmont igitur dixit quod auctoritate carte de jure patronatus ecclesie de Boaffles, quam habebant a donno Ingerranno milite de Boaffles, ecclesiam illam posse et debere, conferre de jure tunc vacaret et ad ipsos jus patronatus pertinere, qua vacante, donnus Ingerrannus miles predictus ad donnum abbatem et conventum supradictos accessit proponens sic. Donni quando ego contuli vobis ecclesias de Boaffles et de Bernomaisnil vos mihi promisistis quod primam earum vacantem alicui ex meis ad meam petitionem conferretis. Quo audito a suis fratribus fidedignis quod ita esset ad petitionem dicti I. militis presentavit quandam filium ejus donno archiepiscopo, sed donnus archiepiscopus noluit eum recipere eo quia infra annos erat, et tunc donnus abbas, ne jus presentandi quod habebat amittere, presentavit ad dictam ecclesiam R. de Ponte clericum et a domino archiepiscopo receptus fuit, dicto tamen I. milite dicente, Donne abbas, multum festinatis, R'. autem donnus abbas si archiepiscopus tunc poterat et debebat recipere dixit quod etiam. Iterum autem de forma carte quam habebant tunc temporis super patronatu dictarum ecclesiarum dixit sicut credebat quod talis erat sicut continebatur in presenti cedula : ¶ Notum sit presentibus et futuris quod ego Ingerrannus de Beaffles concedente uxore mea Aeliza et filio meo Thoma et herede pro salute anime mee et pro anima Roberti patris mei et pro animabus antecessorum et successorum meorum dedi et concessi et presenti carta mea confirmavi in puram et perpetuam elemosinam ecclesie Dei et Beate Marie Sanctique Johannis de Fucarmont et monachis ibidem Deo sevrventibus, jus patronatus ecclesie de de (sic) Beaffles quod erat meum fuitque antecessorum meorum. Dedi etiam eis jus patronatus ecclesie de Bernomaisnil quod nihilominus erat meum fuitque antecessorum meorum. Habebuntque monachi in perpetuum hec superius memorata pacifice et quiete de me et successoribus meis libera ab omni servitio et exauctione (sic) et demanda, nihil que in eis mihi vel heredibus meis reservavi, nisi fraternitatem domus memorate et beneficium spiritualis. Et ne mea ista donatio in posterum ab aliquo possit i[n]firmari, presentem cartam sigilli mei munimine feci roborari. ¶ Prior de Fucarmont igitur dixit idem per omnia quod donnus abbas H. adjecto (?) quod predictus .I. miles multum et sepius reclamavit propter promissum quod ei fecerant cum dictus .R. clericus presentaretur. ¶ Cantor de Fucarmont igitur dixit idem per omnia quod abbas, excepto quod non audivit .I. militem reclamantem quando .R. clericus presentatus fuit et receptus fuit a donno archiepiscopo, nec scivit .I. militem tunc presentem. ¶ Donnus Willelmus de Fescamp monachus de Fucarmont igitur dixit idem per omnia quod abbas de Ricardo clerico presentato et recepto et aliis articulis. ¶ Donnus Guido le Borgne monachus de Fucarmont igitur dixit idem per omnia quod abbas, excepto quod non interfuit quando filius .I. militis a donno abbate presentatus fuit, et ab archiepiscopo repudiatus, sed audivit quod clerici donni archiepiscopi ipsum repudiaverunt propter etatem cum donnus abbas eum presentare vellet. ¶ Donnus Willelmus Audigero monachus de Fucarmont igitur dixit idem per omnia quod abbas. Et no[n] dixit quod prior et cantor de Fucarmont interfuerunt quando I. miles obtulit super altare de Fucarmont cartam suam de jure patronatus ecclesie de Beaffles quam eis contulit. Item Donnus W. Audigero vidit cartam quando primo lecta fuit coram omnibus. ¶ Walterus presbyter de Fucarmont igitur dixit quod interfuit quando donnus abbas de Fucarmont contulit ecclesiam de Boaffles Ricardo clerico supradicto, sed de aliis nihil scit ni de auditu. ¶ Henricus Mosteile presbyter igitur dixit quod vidit litteras donni archiepiscopi et legit directas ad decanum de Focarmont ut ipse .R. clericum institueret in ecclesiam de Boaffles quam ipse ei contulerat, et audivit dicere quod abbas ipsum .R. donno archiepiscopo presentaverat. ¶ Osbertus presbyter de Fraisnei igitur dixit quod interfuit apud Fucarmont quando abbas presentavit filium dicti .I. militis ad ecclesiam de Boaffles, sed donnus archiepiscopus noluit eum recipere propter etatem, et statim abbas presentavit eo vidante .R. sepedictum, sed non vidit ipsum recipi, sed post ea ut audivit referri a multis receptus est. ¶ Gillebertus de Semermaisnil presbyter igitur dixit idem per omnia quod predictus Osbertus presbyter. ¶ Ricardus de Sancto Martino in Nemore presbyter igitur dixit se nihil scire de ecclesia illa ni de auditu. Hii sunt testes Ingerranni de Boiffles militis, quos pro parte sua produxit in eadem carta in qua alii quisti primo positi in hac cedula, pro parte Ricardum apostolica auctoritate fuerit recepti. Fulco de Offegnies miles, Thomas de Boaffles miles, Robillart de Boaffles, Petrus prepositus, Helleboudus de Fanencort miles, Bernardus Marescot miles, Henricus de Golechueles miles, Thomas Catevaire, Stephanus de Hosdenc, Henricus de Fanecort miles, Hugo Lambert, Fulco prepositus, Radulfus de Mollepani, Bernardus vavassor de Hersenroi, Robertus de Fontana. ¶ Fulco de Offegnies miles igitur dixit quod interfuit apud Fucarmont ubi vidit et audivit quod decanus de eodem loco presentavit quandam clericum ad ecclesie de Boaffles donno Rothomagensis [archiepiscopo] presentatori cum donnus Ingerrannus miles contradixit affirmans quod nullum poterat presentare. De conventionibus inter eos habitis nihil scit. ¶ Thomas de Boaffles miles igitur dixit quod abbas, vocatis priore et monachis suis in virtute ordinis sui, petivit si quando .R. clericus presentatus fuit ad ecclesiam de Boaffles si de jure potuerit presentare, qui de omni consilio respondentes direrunt (sic pour dixerunt) quod non. Postmodo donno Rothomagensi [archiepiscopo] misit duos de monachis suis ut hoc sibi

nunciarent quod de jure non potuerant. ¶ Robillart de Boaffles igitur dixit quod omnibus diebus vite sue vidit patrem suum possidere patronatus ecclesie de Boaffles et quod interfuit quando donnus abbas presentavit .R. clericum ad titulum ecclesie de Boaffles, cui presentatori donnus I. contradixit affirmans quod nullum jus habebat presentandi. Postmodo donnus archiepiscopus precepit abbati ut vocatis monachis suis inquireret si de jure posset presentare, qui habito super hoc consilio dixerunt quod non. ¶ Petrus prepositus igitur dixit idem de jure patronatus de aliis nihil scit, excepto quod vidit Ingerrannum presentare Willelmum fratrem suum ad titulum ejusdem ecclesie, et quod a donno Rothomagensi [archiepiscopo] fuit receptus. ¶ Helleboudus de Fanecort miles igitur dixit quod nihil scit de patronatu ecclesie de Boaffles et quo jure competat Ingerranno nec de recognitione que facta fuit coram donno Rothomagensi [archiepiscopo], sed modo scit per instrumentum quod ei redditur quod abbas nullum jus habet in patronatu ecclesia de Boaffles. ¶ Bernardus Marescot miles igitur dixit quod interfuit apud Fucarmon ubi (sic) vidit et audivit Ingerrannum militem petentem et dicentem quod abbas injuriabatur ei super jure patronatus ecclesie sue de Boaffles, cui abbas respondit quod postmodo vocatis monachis suis antiquioribus quibus dedit in mandatis quomodo de novo inter eos venerat et de ignorabat ut ipsum instruerent si de jure potuit clericum presentare quod presentaverat, cui reponderent quod non, et tunc jussit ejusdem monachis quod irent ad donnum archiepiscopum ut supradictam recognoscerent coram eo, sed nescivit utrum ierit nunc ne. ¶ Donnus Henricus de Golechueles miles igitur dixit quod vidit quod Willelmus frater supradicti Ingerranni militis possedit ecclesiam de Boaffles et audivit dici quod ad presentationem donni Roberti de Boaffles et Ingerranni filii sui qui nunc succedit et receptus fuit a donno archiepiscopo et institutus R'. utrum abbas presentasset Ricardum clericum respondit se nihil scire ni de auditu. ¶ Arnulphus Sotebert de Boaffles igitur concordat per omnia supradicto Henrico militi de Golechueles. ¶ Thomas Catevaire igitur concordat per omnia Arnulpho Sotebert. ¶ Stephanus de Hosdenc igitur concordat per omnia supradictis Arnulpho et Thome. ¶ Henricus de Fanecort miles igitur dixit quod interfuit apud Fucarmon quando abbas ejusdem loci presentavit filium Ingerranni sepedicti militis ad ecclesiam de Boaffles donno archiepiscopo, et illo propter etatem refutato, abbas presentavit Ricardum sepedictum clericum donno Ingerranno reclamatione et dicente quod propter conventionem factam inter eos non poterat. R'. de aliis respondit se nihil scire ni de auditu. ¶ Hugo Lambertus igitur concordat per omnia precedenti Henrico. ¶ Fulco prepositus igitur dixit quod vidit Bernardum sacerdotem possidens ecclesiam de Boaffles de dono domini de Boaffles, de aliis nihil scit ni de auditu. ¶ Radulphus de Mollepani igitur dixit per omnia quod Fulco prepositus. ¶ Bernardus v[a]vassor igitur dixit idem per omnia quod predictus Radulphus. ¶ Robertus de Fontana igitur dixit idem per omnia quod precedens Bernardus.